



**Bescrivinge van dat vermarde en vruchtbaer graefschap van  
Hollant met dat geheele landt van Utrecht, dese landen sin  
eertiets bij den ouden Romeinen Batavia genaemt geweest,  
waer af dat het landt tusschen den Rhin ende de Wael noch  
tertiet den naem Betue behouden heeft, want gelick men noch  
tegenwordich sien can dat den Rhin in voerleden tijden doer  
Utrecht ende de stadt Leijden also sijnen cours oft loop aldaer  
inde zee genomen heeft, bij dat huus te Bretta, waer vā noch  
somige rowinen oft oude muragien inde zee liggê die welcke  
bij onsen tydê dry mael gesien sin te wetê int jaer 1520 eñ  
1552 1562**

Kaart van Holland, Gerard de Jode, 1578 (na 1593?)

<https://hdl.handle.net/1874/20404>




OCCIDENTIS.

OCEANI GERMANICI  
PARS

**Deſchryvinge van dat vermaerde  
en vruchtbare graefſchap van  
Dollant**

Met dat geheele land van Utrecht, deſe landen ſin eertijds bijden ouden romeynen  
Batavia genaemt geweest, waer af dat  
het land tuffchen den rijn ende de  
waer, noch heert den naem Batavia  
behouden heeft, want gelickmen na  
tegenwoordich ſien, can dat den rijn  
voorleden tijden doer Utrecht ende  
de ſtadt Leyden, alſo ſynen coures  
oft loop, aldaer inde zee genomen  
heeft, by dat huus te Breda, waer  
daer noch ſonige rowinen oft oude  
muren ſin ende zee ligge die  
welcke by onſen tijde  
daer maect geſien ſin  
te Utrecht in  
1522. in 1522

Armenarium ſive Caſtri  
Britannica riuaria forma  
quae ſub 1520 1522 et 1562  
in litore oceanis non longe  
ab urbe Leyda extere viſe ſunt





trecentarum nauium ex omnibus Europa partibus confluentium, ex Gallia, Anglia, Hispania, Lusitania seu Portugallia, Polonia, Lituonia, Suedia, Norwegia, Islandia ac Ostlandia, ita ut saepenumero vna ibi videre liceat in portu ad quingentas naues ac halcades, quae prospertum praebent planè magnificum. Ciues tam sunt opulentes, amplèq; fortunæ, ut eiusmodi classe aduecta, ipsi omnes merces tam promptè coemant, ut quinto sextòque die ab aduentu suo expeditæ naues, rursusq; mercibus alijs oneratae quæuis remeant vnde profectæ erant. Vrbs fundamenta sunt trabes lignei, locis vndosis ingeniosè admodum infixi, ut aedificia quamuis magnifica sustentare queant. Et ut dicam simul omnia, siue diuitias, siue populum, siue etiam aërem, aquam, situm, quantitatem, siue præterea aquæ ductuum, quos canales vocant, per quos naues admittuntur, fabricas spectes, poterit hæc cum Venetijs comparari. Habet præterea hæc Regio Roterodamum ab Roterodamo canali, qui ibidem Mosæ miscetur appellatum, clarum vel eò quod literarum decus Erasmi Roterodamum genuerit. Est præterea Hollandiæ pagus quem Hagum comitis, *Sgraauen-haeg* vocant, omnium quos Europa habet pulcherrimus, ditissimus, amplissimus, ac capacissimus, ad domuum duo millia continens, tam sumptuosarum, ut nulli vrbium cedant, cum ibi totius propemodum regionis nobilitas, ac Regis etiam Palatium Curiaque commorentur, ab hoc loco ad semimilliarium distat Loldunen, Benedictini ordinis monasterium, vbi sepulchrum extat Comitissæ Margaretae, cuius historia relatu non indigna videtur. Hanc quondam pauperula quædam natos ex se gemellos vlnis tenens, petebat eleemosynam, cui præter id quod nihil ei largiretur, insultabat, eamque conuictijs proscindebat, negans possibile esse binos pueros eodem partu edi, nisi binis etiam patribus geniti essent, proinde alterum horum adulterio natum esse: qua contumelia mota miserula hæc, orabat Deum, ut ad vindicandam castitatem pudicitiamque suam permitteret hanc Comitissam eodem partu tot infantes, quot dies annus habet, dare: idque factum esse testatur eius Epitaphium, quod sic se habet. Illustri domini Florentij, Comitissæ Hollandiæ filia, cuius mater fuit Machtildis, filia Henrici, ducis Brabantiae, fratrem quoque habuit Guilielmum Alemaniæ regem. Hæc præfata Domina Margareta, Anno salutis 1276. ætatis suæ anno quadragesimo secundo, ipso die Parascheues hora nona ante meridiem, peperit infantes viuos promiscui sexus numero trecentos, sexaginta quatuor: qui postquam per venerabilem Episcopum Guidonem Suffraganeum præsentibus nonnullis proceribus, & magnatibus, in pelui quadam, Baptismi Sacramentum percepissent, & masculis Iohannes, femellis verò Elizabeth nomen impostum fuisset, ipsorum omnium vnà cum matris anima ad Deum æternaliter victuræ redierunt: corpora autem sub hoc saxo requiescunt. Traiectensis Diocesis, quamuis sit dominium ab Hollandia diuersum: tamen quandoquidem tota propemodum Hollandia circuitur (huic enim à Septentrione, Meridie & Occidente contermina est) ab Ortu autem Geldriam habet, eius hic quoque meminisse oportet vnum est. Continet autem hæc Vltraiectum, ciuitatem Episcopalem, olim Antoninam dictam, ab Antonio Romano Patritio, qui fugiens Neronis tyrannidem eò confugisse, hancque condidisse fertur. Est vrbs iuxta veterem Rheni alueum, quo præteruehebatur ad mare, priusquam Lecco flu. coniungeretur, vrbs est ampla, spatiosa, præpotens, ac sumptuosissimis aedificijs ornata, territorium oppidis pagisque plusquam excultum. Huius iurisdictioni subsunt Wick, *te duersteden* Batauodurum, Tacito rhenen, Ormes Tacito, Amersfort & Montfort. Aër

ventorum, quibus perflatur regio, beneficio etiam si humidus ac labis non nihil ex maris lacuumque vicinia contrahere possit, benignus tamen est & salutaris. Terra est submissa ac profunda admodum, ita ut omnes penè fluij, canales ac aquæ ductus, qui maris fluxum atque refluxum sentiunt, quo minus inundent terram, aggeribus muniendi sint. vnde frequenter hinc inde videre est (miratu dignum) flumina supra reliquam terram eminentiora. Terra ipsa penè insula est, ac aquis vndique plena, præter enim alueos quos sponte flumina custodiunt, tantum canalium, fossarum ac aquæ ductuum, manu, ac arte factorum, cuiusuis commoditatis causa, qua vltro citroque merces couchantur, videre est vndique, ut terra vniuersa præter Insularum aceruum nil esse videatur. Arborum ferè nihil videre est per campos, minus fructuum. Sylvas vix habet vllas, præter eam quæ prope Hagum Comitis conspicitur, feris vtcunque frequens. Frumenti quoque ob terram profundum situm parum producit. Verum prope vicum cui *Sgraauen-sand* nomen est, feritur metiturque frumenti optimi plusquam vllio alio huius regionis tractu. Et cum parum producat regio frumenti, eiusdem tamen ibidem est abundantia. Vinetis quoque caret, nihilo tamen fecius vini plus hic bibitur, quam quibus nascitur locis. Linum quoque non producit, cum panni linei plures hic quam in vlla orbis parte alia conficiantur. Lanam non habent, & pannos laneos in magno numero concinnant. Lignis caret, cum naues & aggeres quoque ligneis tum fascibus tum sudibus ingestis plures, quam quibus alius Europæ tractus exstruat. Terra verò pratis pascuisque perquam commoda, cum pecore ut plurimum viuant, celsipitibusque excidendis quibus focus ignisque alatur, ingentem materiam præbet. Bobus ac vaccis abundat regio, ouibus caprisque non item. Equos gignit prægrandes ac corpulentos, bonos ac elegantes, hos cum aliquato adoleuerunt, in in Frisiam educandos mittuntij siquidem qui ibi pascuntur alacriores, fortioresque existunt, quam qui in Hollandia, qui verò ibidem nascuntur Hollandicis multo sunt inferiores, ita ut in Hollandia natus, & in Frisia pascus equus, ferox, animosus, fortis, bonusque iudicetur. Quem verò fructum capiunt è re pecuaria, palam est omnibus: cum (ut dictum est superius) pecore ut plurimum viuant, totaque propemodum Europa butyrum, caseusque huius regionis distrahantur. Piscibus autem mirum in modum abundant, ita ut piscibus etiam porcos saginent. Flumina habet præter Rheni Mosæque ostia, Lingam, Roteram, Amsteram, Gaudem, Schiam, Meruam & Barot. Terminatur autem à Septentrione & Occasu Oceano, à Meridie Mosæ flu. & Brabantia, ab Ortu partim sinu maris, quem *Zuder-zee* & mare Australe vocant, partim Geldriæ ducatu incipit ab Occidente sub principium 26. gradus longitudinis, ut in *Sgrauensande*, & extenditur versus Orientem vsque ad 28. gradus minut. 10. vbi Burenium oppidum est. A Meridie sumit initium ad principium 52. gradus latitudinis, vbi Dordracum oppidum est, & extenditur in Septentrionem ad 54. gradus minut. 12. vbi Medenbleek vicus est. Est itaque circa medium noni climatis per Rheni ostia sub initium 19. Paralleli, vbi diem habet prolixiorum horarum 16½. vsque post initium vigesimi Paralleli, vbi diem habet prolixiorum horarum 16½. Si ad millaria referas eius quantitatem, reperies in longitudine hoc est, ab Occidente in Orientem millaria Italica 47. Germanica 11½. in latitudine autem, id est, à Meridie in Septentrionem millaria Italica 72. Germanica 18.

## HOLLANDIAE COMITATVS.

**H**ollandiæ nomen probatissimorum authorum nonnulli dici volunt Holtdandiam, terram lignosam significat, *Holt* enim inferiores Germani pro *Holtra*, seu ligno dicunt, & *landt* terram sonat, quod terram hanc olim syluis lucis que horruisse persuasum habeant, quo pacto autem hæc excisa, erutaque sint, vix constat: nisi quod opinantur nonnulli Oceani inundatione hoc accidisse, aut potius impetuoso maris affluctu, quo immensa arenarum vi aduecta, Rheni catarrhactæ obstructæ, eius aquæ intumescere coactæ, ac vento hinc inde consistata, quicquid arborum erat obuium, euulsere. Rheni quoque alueos ac ostia mutare, quo tempore Rhenus Lecco flu. coniunctus est, quod factum dicitur Anno à Christo nato 860. Veteris verò aluei vestigia adhuc animaduertere licet. Terra autem inter hunc & Vahalim interiecta proprio nomine Batauia dicebatur, de qua paulò post dicemus. Huic verò sententiæ hodie refragantur opiniones plurimorum, qui Hollandiam dici assueverunt, tanquam terram cauam seu cauernosam. Cui rei fidem etiam facere aiunt euentum, non ita pridem animaduersum: Ferunt enim prope Harlemum, vaccam depascentem gramina, in cauernam quandam incidisse, ac triduo post in maris sinu ei oppido versus Orientem opposito, reperitam esse. Suffragatur etiam eidem sententiæ Belgarum prouerbium, quo dici solet: *Hollandt bollandt*. Hæc olim Batauia dicebatur, à Batauo ut quidam dicunt, filio regis Cattorum, qui cum adiunctis sibi eiusdem populi viris, ob seditionem à popularibus suis pulsus, terram hanc habitatore, cultoreque vacuum occuparunt, fixisque tugurijs colere cæperunt. Cuius rei argumentum est Catwicus locus penè insulam, terminans ad Septentrionem, quæ vox non obscura gentis veteris nomen prodit. Ducis verò eorum nomen retinuisse videntur oppida nonnulla, ut Battenberga, Batauodurum, Batauodurum, quod nunc *Wyck te duersteden* dicitur. Huius nominis aliam apud Becanum reperimus rationem: Dicit enim vocem Batauam compositam ex Cimbricis diuisionibus, *Bat* & *hauen*, quorum illud commodum vtilitatem que, hoc portum significat, quasi vtilem portum dicat quis. Etymon non ineptum videretur, nisi priorem rationem confirmarent prædicta superior insula pars, etiamnum Batauicum nomen retinens, de *Batau*, intra Vahalim & Leccam posita: Incolæ eius Catti fuere, ut testatur Tacitus in libello quem de situ & moribus Germanorum conscripsit, inquit: Omnium harum gentium (supple Cisthenauarum) virtute præcipui Batau non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis colunt, Cattorum quondam populus, & seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani Imperij fierent. Idem historiae Augustæ lib. 20. Batau, inquit, donec trans Rhenum agebant, pars Cattorum, seditione domestica pulsus, extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, simulque insulam inter vada sitam occupare, quam mare Oceanum à frôte, Rhenus amnis tergam ac latera circumluit. Hos itaque Hestorum populares esse præter grauisimi huius authoris sententiam, confirmat etiam Battenberga Hestorum municipium, de quibus etiam Plutarchus hoc modo refert: Batau sunt inter Germanos optimi equites, insulam habitantes, quam Rhenus circumfluit. Regio hæc mirum in modum populosa, hominumque diues, ut plurimum procerorum, veruntamen bene proportionatorum corporum, ac animosorum, ciuilitate ac politia multum à maioribus differentium: ex utrisque enim feris agrestisque moribus, humanitatem, politiam, ciuilitatem mirum in modum excolunt: placidi, iocundi, ingeniosi, benigni, ac hospitaes sunt, contra certè quam de ipsis tradiderit Lemnius, alioqui fide dignus author, qui eos simplices, improvidos, incautos, infacetos, inertes, legnes, somniculosos, stolidos, ac minimè astutos esse affirmat. Fæminæ eorum elegantes, formæ albæ, & in rebus omnibus gerendis magnæ dexteritatis. Virilia ut plurimum officia exequantur, præsertim quo ad mercaturam, vnde regionem peragrantibus triplo plures fæminæ quam viri obuiæ sunt, quæ cum currubus, tum cymbis ac holcadibus rerum gerendarum causa vltro citroque commeant. Nusquam gentium, teste Erasmo roterodamo Batauo, mediocriter eruditorum

frequentior numerus est. Vulgus autem, ut plurimum mercaturæ, rei pecuariae, nauticæ ac piscatoricæ deditum: ad voluptates autem aliquanto propensiores, ob rerum omnium exuberantiam sunt, quibus voluptatis studium imitari solet. In domesticæ suppellectilis nitore palmam vni concedunt Hollandiæ negotiatores, quibus pleraque orbis pars peragrata est. Hæc olim suos reges habuit, quorum meminit Suetonius in Caligula cap. 44. Verum Anno Christi 863. à Carolo Caluo Francorum rege in Comitatum redacta est, eique præfectus est Theodorus è regio stemmate ortus, isque primus Hollandiæ comes fuit, qua quidem dignitate adhuc fruitur. Hæc regio sub Austricæ Archiducibus, Nobiles per paucos hodie habet, vnde in pauciores Regiunculas distrahitur, diuiditurque. Egmontensem tamen comitatum, Brederodensem seu Vianensem Baronatum, ac Vltraiectensem diocesium continet. Quinque præterea minores Insulae iurisdictioni parent, versus Meridiem posita, quæ Zealandias proscribit: earum hæc sunt nomina *Voorn*, in qua Brielia & Geruliet ciuitates: Insula frugifera satis ac critici ferax. Gaude de altera est, quæ eiusdem nominis oppidum continet. Huic versus Euronotum adiacet *Somersdijck*, aliàs etiã *Voorn*, eò quod à frôte Hollandiæ sit posita. Ei versus Vulturum *Piersehill* & *Corendijck* quarta & quinta Insula opponuntur. Præter soli fertilitatem nihil notatu dignum habentes. Bona etiam pars huic regioni accessit superioribus annis, circiter annum nimirum 1555. quo tempore magnus maris Australis sinus aggeribus circumdatus, ac è maris faucibus ereptus est: est que terra ex frumenti feracissima, habens in circuitu millaria Flandrica nouem. Verum Anno 1570. 10. Octob. seuiente Coro, denuò inundata est eadem pars, verum incolarum labore ac industria fauente D. Opt. Maximo, postliminio iam vindicata est à fluctibus. Negant aliam inueniri regionem, quæ simili spatio tantum oppidorum contineat, mediocri quidem magnitudine, sed incredibili politia. Mœnibus circumdata habet 29. quarum sex sunt præcipuæ. Dordracum, quatuor fluminum concursu in Insulam redacta, Mosæ nimirum, Vahalim, Lingæ, ac Meruæ, qui eandem Anno 1421. abroserunt à continentem, Brabantiae enim cohærebat, quo tempore etiam vltra septuaginta pagi inundatione submersi, & ad centena hominum millia cum omnibus fortunis ac possessionibus interière. Ciuitas est ampla, pulchra, opulenta, ac præpotens, aedificijs elegantissimis ac magnificis ornata. Harlemum omnium quæ in Hollandia sunt vrbium amplissima, cui incolarum suorum testimonio Typographicæ artis inuèto debetur, quauis hoc beneficij Maguntinensi vrbis acceptum referant nonnulli. Verum ne quid laudis debite vtrique detrahatur, aiunt eius inuentorè ante perfectam artem morte præuentum, eius deinde seruum Maguntiacum profectum, vbi continuo exercitio ad perfectionem ars perducta est, ita ut hæc alitrix seu nutritrix, illa artis mater sit. Delft vel Delphi, oppidum à fossis seu aquæ ductibus sic appellatum, fodere enim *delfsen* sua lingua dicunt. Hinc oriundus erat Scelus ille David Georgius, qui cum illiteratus esset, tamen tanta erat perspicacitatis ingenij, ut scèta supra quam aboninabilem condiderit, atque eo tandem ineptæ ac impudentiæ profectus, ut se verum Melsiam dicere non dubitaret: is tandem Basileæ metu detecti sceleris, vitam cum morte mutauit, ac post mortem inquisitione facta de eius vita, doctrina ac scriptis, rogo additum est eius cadauer: quod quidem in huius oppidi contumeliam minimè narro, cum vicissim viros honorandos ac suspiciendos plurimos genuerit. Est hic locus omni propemodum orbi notissimus ex cereuisia quam abundantissimè eius incolæ coquant ac distrahunt. Leyden quam Ptolomæus Lugdunum Batauorum dicit. Hinc oriundus fuit Ioannes à Leyden factus, qui se regem fecerat Anabaptistarum ac Monasteriensem vrbem Westphaliæ, vi armis occupabat, ac tandem ab Episcopo vrbe expugnata, cauea ferrea inclusus, è turri suspensus, ac tandem miserè, uti meruerat, supplicio affectus est. Goudia quoque ciuitas est populosa, diuesque, ad Insulam flu. posita. Amsterodamum, enponum post Antuerpicensem omnium celeberrimum, quæ habet Belgica, quò quotannis appellant classes ducentarum ac